



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XV. Aliorum argumentorum aduersus distinctionem virtualem intrinsecam
in rebus creatis solutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

contradictoriam quamlibet summam, & omnium maximam fortassis esse. Ceterum id genericè intelligendum est, quia videlicet inter genera oppositio-
num præcipuum & magis rigorosum est illud, quod contradictio vocari consuevit. Haud tamen omnis est specificè summa: namque intra genus oppositio-
nis contradictoriæ datur latitudo, vnaque contra-
dictio est maior alia: sicut tamen, genus substan-
tiæ v. g. sit supremum in eo tamen reperitur inæqua-
litas, & quod aiunt, magis, & minus, vnaque
substantia maior alia est, Deus scilicet Angelo, hic
homine, iste brutis animalibus. Hinc ergo nascitur,
vt vna oppositio contradictoria inferre possit di-
stinctionem realem, & non alia: vna quippe speci-
ficè maior est, quam alia, tamen si sint genericè
æquales.

218 Præterea ratio nobis obiecta, in Deo manifestam
habet exceptionem. Namque in eo haud vna prædi-
catorum contradictio visitur: aut ergo omnis, &
quæuis est summa? aut vna est maior alia? si hoc se-
cundum dicatur, quid prohibet, oppositionem
contradictoriam in omnibus, & singulis creaturis
eiusmodi esse, & tamen eam suscipere magis, &
minus, aliamque alia maiorem esse, vtique specificè?
Sin autem prius dicatur, cur sicuti in Deo oppositio
contradictoria, adeoque summa, vel omnino, vel
certè cum moderatione illa, *ex genere suo*, nihilo-
minus distinctionem realem non semper efficit, sed
cum ea est aliquando coniuncta, aliquando verò ab
ea seiuncta, id ipsum in creaturis non vlueniat?
planè, vt hæc argumentatio *omnis oppositio contra-
dictoria est summa, sed aliqua distinctionem realem
arguit: ergo & omnis*, sicut in Deo, sic etiam in re-
bus creatis infingatur. Animus non est, identitatem
realem cum contradictione prædicatorum in creatu-
ris propterea conciliat, quod in Deo id contingat:
hic enim infinitatem Dei infinites aduersarij nobis
obiiciunt. Illud tantum in præsentia contendo, oppo-
sitionem contradictoriam in rebus creatis non semper
summam esse, aut, esto, cuiusmodi sit, haud
semper distinctionem realem inferre, quando quidem
in Deo simile quidpiam accidit. Hic autem arguen-
di modus nulla potest exceptione repelli, aut refelli:
nam infinitas potius conducit, vt quidquid est in
Deo, sit summum: ea ergo non obstante, si quando
oppositio contradictoria in Deo non est summa, cur
esse debeat in nostra tenuitate, & imperfectione
semper summa? Rursus si in Deo quæuis prædicato-
rum contradictio est summa, & tamen aliqua, non
obstante infinitate, cum qua est coniuncta, patitur
se vinci ab alia quoad vim inferendi distinctionem
realem, à fortiori, vt aiunt, in nobis, qui finiti su-
mus, & imperfecti, contradictio prædicatorum
summa quodammodo erit, tamen si aliquando sit
alia inferior, quoad effectum distinctionis realis. En
quatenus infinitatis effugium aduersariis hic magis
oblit, quam proficiat.

C A P V T XV.

*Aliorum argumentorum aduersus distinctionem
virtualem intrinsecam in rebus
creatis Solutio.*

219 O Crauum aduersus eam argumentum sic se habet.
Si animalitas v. g. & rationalitas virtualiter in-
trinsecè distinguerentur, nulla esset ratio, cur etiam
realiter distinctæ non essent. Quo enim argumento
impugnari posset is, qui realiter eas distingueret ma-

gis, quàm eas virtualiter distinguens? Aut cur nam,
quod sint separabiles in operando, alteraque sentiat,
altera verò non sentiat, sed discurrat, ad illarum
distinctionem realem non sufficiat perinde, ac si ef-
sent separabiles in existendo, vnaque sine alia posset
existere curvè itidem vnam producere quidpiam,
quod non producit alia non arguat in eis distinctio-
nem realem, perinde, ac si vna esset producens alte-
rius, & hæc à priori producta.

220 Respondeo primum, multas rationes oppugnare
distinctionem realem animalitatis à rationalitate,
quæ aduersus earundem distinctionem virtualem
non procedunt. Namque cum homo sit animal per
materiam primam, & animam suam, & sit etiam ra-
tionalis per vtriusque complexionem, nequit distin-
gui realiter in homine animalitas à rationalitate, &
ab ea esse alia, quin in eo sit alia realiter, aliaque
materia, non extensivè tantum, sed veluti intensivè,
& in eodem loco, vt adminiculo vnus sentiat, &
præsidio alterius dependenter à sensatione discurrat,
ac ratiocinetur, & quin etiam in eo sit duplex reali-
ter anima, nimirum sensitiva, & rationalis. At
quod homo non constet duplici, ac distincta realiter
materia prima inuicem penetrata, evidens est: tum,
quia penetrationem corporum naturaliter impossibi-
lem esse testatur experientia fulminum, ac teræ mo-
tuum: tum, quia altera materia non esset prima,
vt pote quæ sensitivam supponeret, imò non materia
esset, sed forma: tum etiam, quia ineptè diceretur
in sacris, & prophanis litteris hominem constare
corpore, & anima, cum non corpore, sed corpori-
bus coalesceret. Quod verò homo duplici, ac di-
stincta realiter anima non constet, haud est fermè
minus exploratum: namque plerorumque philoso-
phorum sententia est, duas formas substantiales
etiam subordinatas, alteramque animale, & alte-
ram inanimem simul coniungi in eadem materia non
posse, vt in physica vidimus, & verum esse osten-
dimus: multò ergo minus duæ animæ componi po-
terunt in corpore eodem: deinde earum in vno cor-
pore composibilitas damnata est in 8. Synodo gene-
rali, quæ est Constantinopolitana 4. can. 11. Tan-
dem alioqui fiet, vt sint in homine infinitæ animæ
realiter distinctæ, càm non solum sensationes, & ra-
tiationes aliquas, sed harum operationum infi-
nitas valeat producere. Sed de his latè, & ex profes-
so in physica: de quibus etiam videri potest P. Sua-
rez disp. 15. metaph. sect. 9. à num. 17. Hæc autem
omnia, cum probent animalitatem, & rationalita-
tem non posse realiter distingui, nihil eorum vtrius-
que distinctionem virtualem, vel leuiter labefactat,
vt intuenti clarebit.

221 Iam quod ad secundam principalis obiectionis
partem attinet, separabilitatem in existendo esse in-
fallibile signum distinctionis realis, & à nobis osten-
sum est cap. præcedenti, & id tuentur Bernardus ser-
mone 80. in Cantica, Augustinus lib. 6. de Trinit.
cap. 6. & plures alij Patrum: item Aristoteles lib. 7.
topicor. cap. 1. loco. 15. & cum eo Suarez vbi supra,
& communiter ceteri scholastici. At nullus fermè
classicus author (quoties extra hanc controuersiam
rem tractat) separabilitatem in operando velut cer-
tum indicium distinctionis realis tradit: nec verò
potest id quisquam suppositis nostræ fidei principiis:
Paternitas enim, vt quod producit realiter Filium,
quem tamen natura diuina, vt quod non producit:
& tamen natura diuina, & Paternitas realiter non
distinguantur: vniuersim ergo loquendo separabili-
tas in operando distinctionem realem haud arguit,
cùm tamen eam separabilitas in existendo nusquam

non arguat: leue ergo ab vna ad alteram argumentum est. Relationem autem producentis, & producti esse signum irrefragabile distinctionis realis tradunt B. Thomas 1. p. quaest. 41. artic. 4. ad 3. & eius affectus Mayronius, Sirectus, & Fonseca relati à Gilio lib. 2. tract. 5. cap. 3. num. 3. & communiter alij Theologi contra Sabellia nos apud magistrum in 1. dist. 9. At formalitatem aliquam producere quidpiam, quod non producit alia, cum earum distinctione reali haud esse semper coniunctum, iam iam manet declaratum: immerito igitur ex illo antecedenti ad hoc arguitur consequens. Adice falsò supponi animalitatem, & rationalitatem esse reipsa separabiles in operando, aliamve aliquid agere, quod verè, & propriè non agat alia, vt statim clarebit.

222 Nonum argumentum. Distinctio virtualis intrinseca non est distinctio vera, ac realis, sed perinde se habet, ac si esset distinctio: merito igitur illius animalitas, ac rationalitas ita comparata non erunt, vt altera sit verè, ac realiter similis equo, altera verò non similis, vnaque reipsa prædicatum habeat aliquod, cuius alia sit expers; sed tantum ita erunt instituta, vt animalitas, ac rationalitas tota sit simul, & indissolubiler similis equo, perinde tamen se habeat, ac si altera earum non esset similis: distinctio ergo virtualis efficere poterit, vt iis prædicata contradictoria conueniant.

223 At argumentum insto ex dictis superius inter nostram sententiam probandam. Carentia penarum inferni non est bona simpliciter, ac propriè, nimirum, quia non est ens, cuius solius affectio est bonitas, sed perinde se habet, ac si esset bona: non ergo poterit propriè amari, sed perinde se habebit, ac si propriè posset amari. Rursus carentia illa non est propriè, ac simpliciter vera: haud ergo poterit propriè cognosci, sed ita se habebit, ac si propriè posset cognosci. Species itidem impressa non est obiectum, sed eius vicaria, eique æquualens: non ergo determinabit potentiam, sicuti obiectum, si adesset, sed similiter se habebit, atque si eam determinaret. Quemadmodum igitur hæ tres consequentiæ, vel de aduersariorum sententia nullius sunt momenti, haud certè erit magis momentosa argumenti nobis obiecti sequela.

224 Absolutè respondeo: cum dicitur aliquid alteri æquualens, ac perinde se habens, atque illud oportere, vt vnum habeat aliqua, quæ alterius propria sunt, tamen non omnia: sicut nummi argentei, licet non habeant omne pretium auri, at aliquod certè; æstimabileque sunt ad merces comparandas, vti autem nummi, tamen non tantundem; & alioqui certè omnis eorum æquualentia tollitur de medio. Quamquam ergo distinctio virtualis haud possit inferre qualiacunque prædicata contradictoria, vt existere, & non existere, & alia supra distinctioni reali à nobis assignata; at aliqua deducere prædicata contradictoria, quod est proprium distinctionis realis; erit etiam commune distinctioni virtuali; aliàs hæc illi nequaquam erit æquualens. Iam ergo formalitates virtualiter distinctæ non se habebunt perinde, ac si prædicata vendicarent contradictoria, sed ea absolutè sibi asserunt.

225 Decimum argumentum. Hoc ipso, quod Petrus, verbi gratia, numericè tantum distinguatur à Paulo, tota collectio operationum Petri non poterit, nisi numericè duntaxat distinguì à collectione operationum Pauli. Rursus hoc ipso, quod homo tantum specificè distinguatur ab equo, non poterit collectio tota operationum hominis plus, quam specificè distinguì à collectione operationum equi. Præterea eo

ipso, quod homo distinguatur genericè à lapide, non poterit collectio operationum vnus distinguì amplius, quàm genericè à summa, & collectione operationum alterius. Pari ergo ratione si animal, verbi gratia, & rationale in homine tantum virtualiter distinguuntur, operationes animalis, nisi virtualiter distinctæ non erunt ab operationibus rationalis, adeoque realiter non distinguuntur. Consequens autem apertè falsum videtur, admissa semel distinctione virtuali facta enim hac hypothesi; animal est, quod immediatè sentit, & non rationale, hoc verò contrà discurret, & non illud: sensiones ergo sunt operationes animalis, & discursus operationes rationalis: at sensiones, & discursus realiter distinguuntur: ergo, & operationes animalis, ac rationalis.

226 Respondeo, iuxta dicta, tum in physica, tum etiam in Dialect. cum sermo fuit de specie prædicabili, collectionem operationum Petri specificè distinguì à collectione operationum Pauli, tamen Petrus, & Paulus distinguuntur numericè duntaxat, & quod consequens, collectionem operationum hominis genericè distinguì à collectione operationum equi, vt homo, & equus distinguantur specificè tantum. Ratio huius est, quoniam Petrus habet non paucas operationes fortassis modales, sibi que essentialiter annexas, quæque ne diuinitus possunt esse in Paulo, & hic etiam suas proprias. Hinc autem colligitur, intellectionem Petri (quam modalem disputandi gratià supponamus) esse rationem communem, & essentialem sub qua intellectiones omnes Petri continentur, & non intellectiones Pauli, & has etiam sub aliqua ratione superiori, & essentiali contentas esse, sub qua minimè cohibentur eæ, quæ sunt Pauli propriæ; igitur ambæ specie dissident, specie, inquam, logica, licet specie physica, ac morali non differant, quæ est vitarumque æqualitas.

227 Sed non moror in principio paucis fortè placituro, præsertim verò iis, quibuscum verba commuto. Proinde secundò respondeo, & ex superfluo concedo summam, & collectionem operationum omnium Petri, haud magis, quàm numericè distinguì à collectione tota operationum Pauli, sicuti Petrus, & Paulus, non nisi numericè discrepant. Reliquas etiam inductionis factæ partes aduersariis largior. Hinc autem, quod sit, collectionem operationum animalis, & summam operationum rationalis tantum virtualiter distinguì, verissimum est, etiam admissa distinctione virtuali, neque quamuis formalitates illæ virtualiter tantum distinguantur, propterea operationes earum realiter distinguì sequitur vllatenus. Ratio huius est, quoniam licet animalitas sit ratio sentiendi, eaque sola immediatè sentiat, & rationalitas itidem sit ratio discurrendi, eaque sola immediatè discutat; ceterum animalitas verè, & propriè discurret, media quidem rationalitate, cum qua realem habet identitatem, & rationalitas non minori veritate, ac proprietate sentit, tamen interstitio animalitatis, cum qua est realiter eadem: vnde eandem realiter operationes, quas habet animalitas, fortitur etiam rationalitas, & retrorsum, ac, vt aiunt, è conuerso: frustra ergo inferunt aduersarij ex nostra sententia formalitates virtualiter distinguente, operationes tamen earum realiter, aut plusquam virtualiter distinguì.

228 Enimvero aduersus hanc solutionem obiicies, iuxta eam operationes animalis, & eas, quæ sunt propriæ rationalis, ne virtualiter distinctum iri: vtræque enim formalitas sensiones, & discursus communes habet, & iis veluti operationibus exercetur suis: vbi ergo ab vno extremo defecimus, in aliud oppidò incidimus:

incidimus: Non magis siquidem alienum est à modo, ac ratione omni operationes rerum realiter indistinctarum, realiter tamen distingui (quod à nobis euitatur) quam operationes rerum virtualiter indistinctarum ne virtualiter distingui, quod tamen inter soluendum argumentum admisisse videmur. Verum huius responsio difficultatis est in proclui: siquidem sensationes, & discursus prout animalitatem connotant, ab eaque procedunt, distinctionem habent virtuales à semetipsis prout rationalitatem respiciunt, ab eaque oriuntur: sensationes enim immediate ab animalitate, & mediate tantum à rationalitate proficiuntur, contra verò discursiones immediate à rationalitate, & mediate duntaxat ab animalitate: Coniunctum ergo amborum operationum aliter, & aliter animalitatem, & rationalitatem connotant, ab iisque proveniunt. Hoc autem satis est, ut operationes utriusque distinguantur virtualiter, sin minus ex parte rerum, quas produciunt ambæ, at saltem ex parte modi, quoad illas concurrunt.

229 Obicies secundò contra eandem solutionem. Causa mediatà propriè, & simpliciter non operatur effectum, sed impropiè, & secundum quid tantum, aliàs Deus mediatè tantum concurrerit ad actiones causarum secundarum, nullumque argumentum ad oppositum huius nobis suppetet: siquidem pleraque argumenta, præsertim ea, quæ deriuntur ab auctoritate Patrum, & scripturarum hoc solum probant, Deum propriè, ac simpliciter concurrere cum causis secundis ad operandum: aut ergo solus concursus immediatus proprius, verusque est, non verò mediatum, & remotum, aut certè facile defendi poterit, Deum nonnisi mediatè tantum cum causis secundis simul operari: cuius tamen contrarium aduersus Durandum, & plerisque Philosophorum placet, & à nobis ostensum est in physica ex professo. At non alia de causa, ea, quæ est mediatà propriè, & verè non operatur effectum, nisi, quia ad illum concurrunt medià duntaxat alià causà à se distinctà: ergo si animalitas solum discurret medià rationalitate à se distincta, & hæc tantum sentit mediante animalitate, nec animalitas propriè, ac verè discurret, nec rationalitas proprietate, aut veritate vlla sentiet, contra quam docuimus. Huius etiam difficultatis perfacilis est responsio. Etenim quod operatur medià causà à se realiter distincta, non tam operatur ipsum, quam loco illius aliud, adeoque non censetur propriè operari, aut rationem causæ sortiri. Quod verò operatur medio alio à se virtualiter distincto, secum verò realiter, ac propriè identificato, haud conspicio, cur propriè non operetur, cum nihil aliud propriè, ac simpliciter tale eiusmodi operationem sibi vendicer. Et aliàs certè Deus propriè nihil faceret extra se, cum nonnisi medià omnipotentia à se virtualiter distincta in omnes res extra se positas influat. Quocirca, cum animalitas medià rationalitate tantum virtualiter distincta discurret, & hæc mediante animalitate, haud plus alia, eiusque interstitio sentiat, alterutra quidem propriè sentiet, ac discurret.

230 Respondeo tertio ad argumentum illud decimum, quod principia aliqua verè distinguuntur, inuicemque differunt, haud magis distingui, differre posse, quam operationes vnus ab operationibus alterius: id probat inductio ab aduersariis facta, & exemplum distinctionis numerice inter duos homines, eorumque operationes; & distinctionis specificæ inter hominem, & equum, & utriusque effectus, ac denique distinctionis genericæ inter hominem, & lapidem, & ipsorum actiones, & proprietates collectim sumptas. At si duo quædam principia impro-

priè tantum distinguantur, haud propterea, quæ est inter illa distinctio, ea, & non maior esse debet inter illorum operationes. Quod, vel in aduersariorum sententia manifestè demonstro. Nam iuxta ipsos animal, & rationale tantum ratione, seu consideratione distinguuntur, adeoque impropiè: & tamen sensationes, quæ sunt operationes propriæ animalis, in ordine ad quas concipitur, & significatur, & discursus, qui rationali modo attribuuntur eodem, non ratione nostra, sed realiter, ac numericè, imò specificè, aut fortassis genericè differunt. Homo etiam, & animal rationale secundum aduersarios ratione ratiocinante distinguuntur, ac proinde impropiè: & tamen accidentia propria hominis, quæ cernuntur exterius, & respectu quorum homo dicitur, & significatur, alia verò ex parte sensationes, & discursus, quorum principium est animal rationale, plusquam ratione nostra, imò etiam plusquam numericè, ac etiam specificè distinguuntur, genericè scilicet. Quandoquidem igitur animal, & rationale virtualiter intrinsecè distincta, hoc ipso distinguantur impropiè tantum, haud mirum est, quod utriusque operationes plusquam virtualiter, adeoque realiter, quin etiam specificè, aut etiam genericè distingui possint, ac debeant.

Vndecimum aduersus nos argumentum esto. Si 231 daretur distinctio virtualis, maxime ad id, ut vna, eademque res susciperet prædicata contradictoria. At sola distinctio actualis vera, & propria, non autem virtualis, & impropria facere potest, ut eadem res prædicatis contradictoriis subesse queat: virtualis igitur distinctio reiicienda est, quippe quæ præstare nequit id muneris, propter quod adstruitur. Porro si absque distinctione propria, & actuali eadem res prædicata contradictoria suscipere posset, sanè intellectus noster posset assentiri, & dissentiri absque vero, & actuali assensu, & dissensu; ac voluntas amare, & odisse sine vero, & formali amore, & odio, & vniuersim omnes denominatio absque forma denominante vera, & propria posset conferri. Consequens est absurdum, & manifestè falsum. Sequela probatur: quia non minus requiritur ad prædica contradictoria recipienda distinctio, quam ad recipiendam denominationem assentientis assensus; & sic de quavis alia denominatione formæ suæ intuitu: ast ad recipiendam prædicata contradictoria iuxta nos non requiritur distinctio, quæ vera, propria, & actualis sit, sed sufficit distinctio solum impropria, ac secundum quid, & quæ duntaxat virtualis sit, non rerum, verumetiam formalitatum: quid est ergo, quapropter ad recipiendam denominationem actu, & verè assentientis, requiratur assensus verus actualis, & proprius? Quare sicuti nos distinctionem prorsus virtuales, & nullatenus actuales adstruimus, vi cuius prædicata contradictoria in conceptus obiectiuos verè, & actu indistinctos cadere possint; ita etiam assensum virtuales, & improprium comminisci possemus, ac deberemus, præsidio cuius absque vero, & actuali assensu, verè tamen, & actualiter assentiri valeret intellectus nobis insitus.

Respondeo primò per instantiam: nam Deus aliqui recipit prædicata contradictoria sine vera, & actuali distinctione: quod enim eius essentia, & Paternitas ita non distinguantur, in loco satis ostendimus. Respondeo secundò per aliam instantiam: etiam si intellectus propriè, & formaliter assentiri nequeat sine proprio, & formali assensu, tamen carentia propriè, & formaliter amari, & cognosci potest absque propria, & formali bonitate, aut veritate: similiter ergo licet intellectus propriè, & formaliter non assentiat

assentiat sine proprio, & formali assensu, nihilominus tamen poterit res creata proprie, & formaliter subire prædicata contradictoria sine propria, ac formali distinctione, beneficio videlicet solius distinctionis virtualis.

- 233 Respondeo tertio, non posse à Deo suppleri effectus formales absentibus formis: denominationem autem assentientis esse effectum formalem veri, ac proprii assensus proinde mirum non esse, quòd intellectus sine illo nequeat assentiri. Cæterum prædicata contradictoria, qualia sunt vniri, & non vniri, cognosci, & non cognosci, & alia huiusmodi non esse effectus formales distinctionis actualis, sed potius vnionis, & cognitionis, & carentiæ ambarum, atque adeo posse prædicata illa contradictoria absque actuali distinctione in eadem re reperiri, ita vt eius vicem distinctio merè virtualis, & secundum quid gerat. Quòd si sermo sit de prædicatis contradictoriis in actu primo radicali, cuiusmodi sunt intrinsecè, & essentialiter posse vniri, & non vniri, cognosci, & non cognosci, &c. fatemur ea interdum esse effectus formales distinctionis realis, siue, quæ perinde est, actualis, & propriæ, nimirum quando in res realiter distinctas recidunt. Illud tamen, & nostris argumentis, & instantiis nuper positis contendimus, talia prædicata contradictoria radicalia, & in actu primo remoto interdum etiam esse effectus formales distinctionis virtualis, & improprie, & ab ea sola proficisci posse, & solere, quandocunque scilicet in vnam, eandemque rem conueniunt.

CAPVT XVI.

Alia etiam argumenta aduersus distinctionem virtualem intrinsecam in rebus creatis soluta.

- 234 **D** Vodecimum est, multum nos derogare infinitati diuinæ: huius enim priuilegio fit, vt Paternitas, & essentia Dei, eiusque bonitas, & sapientia prædicata contradictoria absque distinctione reali suscipiant. Atqui nos in quantulacunque re creata contradictionem prædicatorum cum identitate reali coniunctam, & à reali distinctione seiunctam adstruimus: infinitati ergo diuinæ detrahimus, & eius instar quoddam, alterumque tantum creaturæ suapte natura finitæ, & imperfectæ arrogamus.
- 235 Respondeo, infinitatem suam Deo factam, rectamque manere, nullaque spoliari prærogatiua, tamen res creata, & finita, existens vna realiter, prædicata tamen contradictoria suscipiat: falsò namque supponitur ab aduersariis priuilegium diuinæ infinitatis in eo situm esse, quòd eadem res eius beneficio prædicata opposita admittat: tum, quia argumenta à nobis, & hæcenus adducta, & postmodum adducenda pro distinctione virtuali satis efficaciter ostendunt, congruere posse rei quantumvis finitæ prædicata contradictoria: tum, quia diuina infinitas hoc solo longè, latèque differet ab imperfectione, & finitudine creaturæ, eamque excelsit, quòd solus Deus prædicata opposita à se habeat, & non emendicet extrinsecus: tum etiam, quia essentia diuina prout virtualiter distincta à Paternitate, aut certè aliqua eius formalitas, vel potius quæuis est infinita simpliciter, & tamen prædicata contradictoria non recipit: tum quoque, quia, vt res infinita ab ea, quæ est finita, infinito quodam intervallo distet, circumscripta quauis contradictione prædicatorum, satis est, quòd sit æterna, immensa, omnia, omnipotens, optima, ac maxi-

ma: tum denique, quoniam duæ res finitæ, Petrus, verbi gratia, & Paulus subeunt prædicata contradictoria: & tamen finitæ manent: quanquam ergo vna aliqua res creata recipiat prædicata inuicem contradictoria, hinc præcisè non sequitur, quòd finita esse nequeat, aut ad infinitatem allurgat. Vide quæ supra disputauimus cap. 14. huc enim faciunt.

Decimumtertium argumentum, & superioris confirmationis. Idcirco nulla res creata duabus, vel pluribus realiter distinctis identificari potest, quia, cum finita sit, extendi nequit identicè ad extrema infinitè distantia inuicem: res autem realiter distinctæ, cuiusmodi sunt Petrus, verbi gratia, & Paulus, infinitè distant, sin minus formaliter, at certè virtualiter, & æquiuallenter, eo nimirum, quòd Paulus sit non Petrus quodammodo, Petrus autem, & non Petrus simpliciter infinitè dissident, propterea, quòd conceptuum omnium obiectiuorum, quotquot sunt possibiles, aut etiam impossibiles, creati, aut non creati, nullus omnino sit, qui Petrus, aut non Petrus sit. Atqui hæc ratio fusè à nobis proposita in Dialect. tract. 2. probat fieri non posse, vt eadem res creata, & finita suscipiat prædicata contradictoria: hæc enim, qualiacunque sint, infinitè simpliciter distant: namque, cum dicitur animalitas hominis esse similis equo, nihil omnino esse, aut cogitari potest, quod, aut equo simile sit, aut non simile: huiusmodi ergo prædicata opposita infinitam habent extensionem, & interapedinem, adeoque sine fine distant, nihilominus, quàm extrema inuicem realiter distincta: nulla ergo res creata poterit eis subesse.

Respondeo, non perinde distare inuicem infinitè prædicata quæuis contradictoria, ac extrema realiter distincta. Ratio huius est, quoniam infinita distantia duo importat, nempe distantiam, & infinitam extensionem, atque interapedinem: vtramque autem fortuitur res realiter distincta: distantiam quidem, eo, quòd altera extra alteram, non localiter, sed essentialiter sit, vniuscusque essentia verè non sit essentia alterius: infinitatem etiam extensionis, & interapedinis, non formaliter, at certè virtualiter, & æquiuallenter, eo, quòd tametsi multa sint, quæ, nec Petrus sint, nec Paulus, nihil tamen, quod non sit Petrus, aut non Petrus, Paulus autem non Petro æquiuallens, eumque in se infert haud aliter, ac ex assensu sequitur in eodem intellectu non dissensus. Cæterum prædicata contradictoria quantumlibet opposita, licet infinita illa extensione, & interapedine nunquam non gaudeant, non semper tamen habent distantiam: hæc enim exposcit distinctionem veram: quæ autem prædicata contradictoria de eadem re, ac tantum multiplici eius formalitate affirmantur, haud sunt verè distincta, sed potius suorum more subiectorum indistincta: quocirca nullatenus distant, nedum infinitè. Et quidem, vt aliquo modo proprie distent, eorum infinitas quadam est insufficiens: Deus enim infinitus est, & tamen à seipso non distat: haud etiam sufficit ad propriam aliquam eorum distantiam oppositio, & contradictio formalis, ac immediata: namque iudicium, quo Deus affirmat, Petrum existere in instanti A, & aliud, quo posset affirmare eum tunc temporis non existere, si nimirum ita non existeret, vtrumque, inquam, iudicium hoc Dei contradictoriam oppositionem habent inuicem, vt luce clarius: at iuxta plerorumque aduersariorum sententiam, ne realiter inadæquate distinguuntur, aut distant, sed in essentia diuina summam fortuitur identitatem, & indistantiam.

Decimumquartum argumentum, ac duorum præcedentium confirmatio sit; mysterium Trinitatis iuxta nostram